

# Formula Marculfina aevi Karolini 2 (lat) [Salzburger Formelmateriale]

| INDICULUM<sup>a</sup> AD QUODDAM<sup>1</sup>

Dominis ac venerabilibus fratribus nostris in monasterio **illo** degentibus **ille** omnium servorum Dei servus rosifluam in Christo atque inmarciscibilem opto salutem<sup>b</sup>

Siquidem vestris sacratissimis precibus<sup>c</sup> nos commendamus obsecrantes clementiam vestram, ut sine intermissione die noctuque nostri memoriam habeatis, quatenus ubique vestris adiutus suffragiis liberius<sup>d</sup> valeam coenosum hunc ac lubricum callem inleso pede transire, ut quandoque nexibus corporeis hinc absolutus aethereis<sup>e</sup> merear thalamis mancipari. Commonere etiam maluimus dilectionem vestram, ut reli[gi]onis<sup>f</sup> propositum et caritatis vinculum in invicem conservetis, ut, sicut docet apostolus, *alter<sup>2</sup> alterius onera portetis*, ut *sic* adimplere valeatis *legem Christi*. Et sicut aspicitis periculum nostrum, si vobis non administraverimus ea, quae vobis sunt necessaria, id est animarum<sup>g</sup> vestrarum remedia, ita aspice<sup>2</sup> et vestrum discrimen<sup>h</sup> si non ex[se]quentes<sup>i</sup> fueritis ea, quae vobis sunt oportuna a nobis impensa; et sicut praemonuit<sup>j</sup> nos isdem princeps pastor ecclesiae: „*Adtendite<sup>4</sup> vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam<sup>k</sup> adquisivit sanguine suo.*“ Et ne forte aliquando nobis contingat illud audire, quod per prophetam<sup>l</sup> Ezechielem olim praedixit<sup>m</sup> dicens: „*Ve<sup>5</sup> pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos<sup>n</sup> et gregem<sup>o</sup> meum non pascebant. Quod crassum erat adsumebatis, et quod debile et infirmum proiciebatis. Nonne greges pascuntur a pastoribus?* Ideoque vobis<sup>p</sup> sit onerosum, quod isdem propheta in consequentibus ait: „*Si<sup>6</sup> autem non adnuntiaveris impio, ut avertat se<sup>q</sup> ab iniquitate sua, ipse<sup>r</sup> impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero eius de manu tua requiram. Quod si<sup>s</sup> adnuntiaveris impio, ut avertat se ab iniquitate sua, et ille non fuerit reversus, ipse impius in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Nobis enim convenit, vos commonere de omnibus, quae ad veram pertinent salutem; <sup>3</sup> et vos cooperatores oportet fieri, sicut<sup>t</sup> diximus, in his, quae vobis salubriter sunt a nobis impensa.

Valete.

<sup>a</sup>INDICULUM] INDICULUM<sub>4</sub>; vgl. *Form. Marc. aev. Karol. 1: INDICULUM AD QUEMLIBET ...*; indiculus edieren Roc, Zeu

<sup>b</sup>salutem] sal<sub>4</sub>

<sup>c</sup>precibus] precibus<sub>4</sub>

<sup>d</sup>liberius] verbessert zu libirius<sub>4</sub>

<sup>e</sup>aethereis] für aetherereis<sub>4</sub>; so auch Roc, Roz, Zeu

<sup>f</sup>religionis] für relionis<sub>4</sub>; so auch Roc, Roz, Zeu

<sup>g</sup>animarum vestrarum] vestrarum animarum Roc

<sup>h</sup>discrimen] verbessert aus crimen<sub>4</sub>; sicher zeitnahe Korrektur, Zeu geht dagegen von späterer Hand aus

<sup>i</sup>exsequentes] für exquentes<sub>4</sub>; so auch Roc, Roz, vgl. *Form. Marc. aev. Karol. 6: quia quantum suffitientes sumus libenter in omnibus vestram e x s e q u i cupimus voluntatem*; exequentes emendiert Zeu

<sup>j</sup>praemonuit] pmonuit<sub>4</sub>; premonuit edieren Roc, Zeu

<sup>k</sup>quam] <sub>4</sub>

<sup>l</sup>prophetam] Roz liest propetam für prophetam in <sub>4</sub> und emendiert

<sup>m</sup>praedixit] pdixit<sub>4</sub>; predixit edieren Roc, Zeu

<sup>n</sup>semetipsos] semet ipsos edieren Roc, Zeu

<sup>o</sup>gregem] verbessert aus geegem<sub>4</sub>

<sup>p</sup>vobis] ausgelassen Roc

<sup>q</sup>se] verbessert aus se se (erstes se radiert)<sub>4</sub>

<sup>r</sup>[ipse ... sua] am Ende der Seite nachgetragen mit Verweiszeichen  $M_4$   
<sup>s</sup>[si] verbessert aus si non (non radiert)  $M_4$   
<sup>t</sup>[sicut] verbessert aus sicut iam (iam radiert)  $M_4$

<sup>1</sup>[fol. 33<sup>v</sup>]  
<sup>2</sup>Gal 6,2  
<sup>3</sup>[fol. 34<sup>r</sup>]  
<sup>4</sup>Act 20,28  
<sup>5</sup>Ez 34,2-4  
<sup>6</sup>Ez 3,18f.  
<sup>7</sup>[fol. 34<sup>v</sup>]

# Formulae Litterae Chartae

